

**EMINENTISSIMOS  
 PROCERES,  
 INSPECTORES GRAVISSIMOS  
 PATRONOS & FAUTORES HONORATISSIMOS**

ad Audiendam

**ORATIONEM  
 DE NUTU DIVINO**

in collatione officiorum,

quâ

Illustri huic Scholæ (DEO providente) **GOERLICIUM**

vocatus d. XVIII. Octobr. A. MDCXCV horâ II. pom,

valedicet,

humillimè & peramanter

invitat, simulque

**DE RECTORIBUS Illustris Scholæ ALTENBURGENSIS**

differit

**M. SAMUEL GROSSER,**

hactenus ejusdem Illustris  
Scholæ Rector.



**ALTENBURGI, Literis Richterianis,**





**A**ltenburgensium res perquam amplas & magnificas esse, neminem latere arbitror. Hic. n. antiquorum Saxonum Burgus instar Tabularij in gratiam posteritatis bonâ fide recondit, quicquid ad illustranda Misnia, aut, si Veterum in distribuendis regionibus loquendi formam sequi licet, Osterlandiæ fata non nihil conferre potest. Hinc nunquam defuere clara ingenia, quæ Altenburgi gloriam è tenebris & angulis quasi erutam in orbis terræ memoriam disseminare laborarunt. Alius autem, quæ Majores in togâ & sago feliciter expedire, celebravit, alius aras, alius focos stylo persequi aggressus est; nec Vitas eorum, qui pro Republicæ Ecclesiæque commodis acriter vigilarunt, attingere puduit; Quare cum plurimum Reverendus Dn. Antecessor meus abhinc biennio id sibi negotium relictum videret, ut Historiam Ephorum, quibus Urbi nostræ uti concessum fuit, explanaret: non mihi vitio datum iri confido, si ejus vestigia secutus Rectorum Gymnasij successiones exposuero. Equidem non sum nescius, Virum dum viveret, de Ecclesiâ Gymnasioque optimè merentem DN: PAULUM MARTINUM SAGITTARIUM, eo tempore Rectorem, in publico Programmate de Scholis Altenburgensibus multa congestisse, quæ, quoniam ex ipsis monumentis tradita certum est, legentem plurimum afficiunt. Scio etiam Rectores præcipuosque Viros Doctrina claros ab eo per ordinem successionis, tanquam in Scenam productos esse. Quia tamen Viro Beato non constitutum fuit de Rectoribus seorsim prolixius differere; non alienum fuerit hanc opellam à me occupari. Res autem Altenburgensium Scholastica, sicut pleraque mortalium, à tenuibus initiis profecta ad summa crevit; Simul enim atque purior Evangelij Doctrina discussis pontificiæ Superstitionis nebulis in luce iterum versari cœperat: velut omnia primum nata initio humi serpunt, ita quoque Officina Pietatis & Virtutis, Schola, angustis circumclusa spatiis ægrè sua protrudebat germina. Ex variis itaque, quas Magistratus instruxerant, ædibus docendi negotio destinatis sola fere Schola Nicolaitana memorari meretur. Hæc ab A 1521. uno fulta Viro Pempelio Schmelensi, quem è Monachis Cœnobij Nicolaitani solum Fata superstitem reliquerant, aliquandiu vixit, ex quadraginta circiter discipulis (neq; n. plures loci angustia capiebat) conflata. Hic, pro ut ex Ordinis Monastici disciplinâ parè ac duriter vitam instituerè didicerat, levi & parabili victu contentus, sumptibus ærarij providente Senatu docendi provinciam octennio sustinuit, donec eum annis & ærumnis confectum senectus dissolvit A 1529. Interea a. jam longius procedente Veritatis Lutherano-Evangelicæ flore, altera quæ ad eundem D. Bartholomæi emerferat, Schola ad celebritatem aliquam ascendit, nec ut illa, unitantum, sed duobus Collegis fuit permessa. Prior ex his Diodorus Reismannus, quem monumenta Scholastica A 1526. vocatum memorant, Ludimoderatoris Axiomate fuit notatus, dato in annos singulos stipendio 60. florenorum, qui sanè in hæc acerbitate temporum ne quidem ad tripedem mensam instruendam aut concham salis puri sufficerent. Quæ ex re apparet, honores quondam raros & tenues, præmia expensis, quæ ferè nullæ aut mediocres tantum erant, paria fuisse: nunc ex adverso cum honoribus expensas crevisse, ita ut, dum mediocri (si tempora rerumq; pretia conferas) mercede conducimur, quicquid etiam aliquis suo labore ac studio acquirat, effusissimis largitionibus, quas honestè evitare nemo potest, longe impar existat. Interjecto deinde tempore res Scholastica varias accessiones fecit: nam & in alium augustiorem locum, sc. in eundem templo discalceatorum contiguam translata, & A. 1537. Johannes Matthesius, Vir non minus Beati Lutheri necessitudine quàm scriptis Pietate ingenio Doctrinæque plenissimis insignis, alterius Baccalareus spartam nactus est: imò 1540. etiam Cantor, cujus nomen Vetustas obliteravit, accessit, ex quo contigit, ut res Scholastica velut quadrigis vecta procederet. Tametsi verò A 1569. novus adhuc Collega superioribus additus fuit, qui secundum à Capite Scholæ tenuit gradum, tamen eodem nomine cujusque sparta, quo ab ipsâ origine, venit. Postea verò A 1559. quo Schola paulò illustrior appareret, Classes per gradus ætatis & profectuum separatim institutæ, & aliæ inferiori, aliæ superiori ædium parti assignatæ sunt; quodque imprimis memorandum, Scholæ Præfectura non ut ante Ludi-Magistris sed Rectoribus permessa fuit. Primus hæc dignitate auctus est M. Michael Chilian Norimbergensis, quem cum Scholæ Præfectum haberet, Legibus à Synedrion Virariensi missis contra Insolentiam & turbas, communia Scholarum mala, muniri coepit. A. 1569. Chilianum secutus est M. Johannes Piscatorius, eadem quæ ipse oriundus urbe. Erat in hoc Viro summa ingenij felicitas, eruditio par, nec minor in docendo dexteritas.

tas. Hinc evenit, ut, cum Schola eum non satis capere videretur, Jenam vocatus Pöesin stu-  
diosæ Juventuti traderet, famamq; quam in Schola fuerat adeptus, plurimum extenderet.  
Post itaq; , quàm hic à rostris Scholasticis ad Academicam dignitatem fuerat euectus, per  
suffragia Scholæ procuratio concessa fuit *Johanni Hamerico*, nostro Idiomate alias *Haumbur-*  
*go* dicto, Viro, quem Jena bonarum artium fecundissima Parens non minus genuerat,  
quàm à Puerò in omnia Virtutis & Doctrinæ studia finxerat. Ejus verò reliqua Vita licet per  
angustiam chartæ & præsentis instituti rationem fufius diduci nequeat; hoc tamen impri-  
mis memorabile est, quod rarâ docentibus sorte quadraginta annis eodem in loco publi-  
Scholasticæ cum laude præfuit. In Rectoribus Scholarum enim diuturna vita & immota in  
eodem loco commoratio miraculi plena videtur. Quos, n. discentium torpor & lascivia  
faugat, invidiorum livor & contemptus frangit, laborum amplissima seges enervat, horum  
Vivacitas nimium angustis plerumque terminis concluditur. Magnum. a. post *Hamerici*  
obitum Scholæ ex *M. Josepho Claudero* successore non solatium modò sed præsidium acces-  
sit. Is Neostadiò ad Orlam, ubi Con-Rectorem egerat, hûc vocatus ab anno 1614. ad an-  
nũ usque 1633. Scholam prudentissimè felicissimèque rexit. Tantus quippe Juvenum ex Vi-  
ciniâ numerus ipso Rectore hûc confluit, ut bis mille quingentos discentium erudiisse &  
rexisse feratur. Horum omnium & amantissimus & studiosissimus extitit, atque ita sin-  
gulos imbuit Pietate & honestis artibus, ut, qui tandem cunque ex ejus Disciplinâ digrede-  
rentur, aliis eruditionis gratiâ morumque concinnitate antecederent. Sicut a. egregiâ quâ-  
dam carmina concinnandi facultate pollebat, ita morem filiorum hujus seculi, quibus in  
hoc studio amoribus servire solenne est, ex animo averfatus, quicquid in ipso fuit ingenij  
ad usus sacros contulit, & selectissimos quosque hymnos latino stylo expressit, tantâ qui-  
dem suavitate, ut qui eos voce cantari audierit, audire charitates sibi videatur. Ad hæc,  
quò juventutis studiosæ Studiis consuleret, decerptis ex optimo quoque Pòetâ flosculis *Æ-*  
*rarium* in Scholis frequentatum adeò auxit, ut jam dubium sit, an *Weinrichij* an verò *Clau-*  
*deri* potiores in eo ad ornando partes fuerint? Accidit a. ut Vir de Scholâ nostrâ tanto pe-  
re meritis auspiciis divinis & autoritate Superiorum sacro ordini adscriptus Diaconi pri-  
mum tandemque Archi-Diaconi munia obiret; pari fanè laborum successu, sed inter im-  
mensas ærumnas & calamitates. Incidebat n. ejus Ministerium in acerbissima ea tempo-  
ra, quibus *Altenburgum* hostibus aliquoties prædæ fuit. Quare accidit, ut altero post ex-  
cessum è Scholâ anno à ferocissimâ militum Cohorte comprehensus, in Templo Fratrum  
discalceatorum, jam injecto collo laqueo, jam intento in latera mucrone necem expectare  
cogeretur. Evasit tamen post degustata tot tormenta, sed obtorti capitis incommoda per  
omnem Vitam retinuit, cujus retinacula mors A 1653. abrupit. A *Claudero* fasces Scholæ ad  
*Tobiam Seyfartum* *Weissenfelsensem* transiere. Hic cum propter eximias animi dotes *Lipfi-*  
*ensibus* Theologis valdè probaretur, à Protosynedrio *Dresdensi* primò spem obtinendi mu-  
neris Ecclesiastici obtinuit: cum tamen *Magnifico Bertramo* Cancellario, & Dn: *Facio* Con-  
filiario *Altenburgensi* interjecto tempore commendaretur, dignus visus est, quem suo  
*Claudero* sufficerent. Nec eos fefellit spes quam de ipso conceperant: integro n. decennio  
rem Scholasticam providè curavit, illustravit, auxit. Imo quanquam armorum strepitus sæ-  
pe faciebat, ut Doctrina publica conquiesceret: tamen periculorum acerbitas ipsius ani-  
mum non fregit sed erexit. Hinc fiebat, ut Princeps Serenissimus ipsum è pulvere Scholasti-  
co satis spectatum & cognitum digniorè Spartâ ornaturus, Summos in Theologiâ honores  
consecutum, *Coburgi* Superintendentis Generalis officium juberet subire. Subiit ergo &  
ei omnibus numeris satis fecit, donec A 1664. vitâ functus est. Varia ingenij monumenta  
reliquit, & initio quidem providit, ne *Magni Reinesij* de Linguâ Punicâ Tractatus cum blat-  
tis & tineis, autoris modestiâ editionem remorante, certaret; deinde varias Theologicas  
Lucubrationes studiosæ Juventuti, cui *Coburgi* animum oculosque intendebat, communi-  
cavit. Hunc autem Virum excepit *Georgius Crauserus*, *Eichsfelda Francus*, qui non, ut vulgò  
fieri consuevit, cum discentibus bonos autores saltem delibavit, & extremis labris eos at-  
tingi passus est, sed singula in eis perreptavit & excussit. Ac quoniam in Linguis etiam, qui-  
bus populos in ortum procurrentes usos esse constat, ita erat versatus, ut nihil ab eo inter-  
rogari posset, quod non promptè enodaret: præter *Scintillas Ciceronianas* *Phosphorus* Vo-  
cum & *Phrasium* N. T. natus est. Cum ergo Juvenes linguarum peritissimos juxta & Rei-  
publicæ utiles formaret, satis in hac statione desudasse visus, auspiciis *Serenissimi Principis A-*  
*poldaæ*, ac paulo post *Eisenbergæ* Superintendentens constitutus est. Ipso itaque abeunte *Frei-*  
*bergâ* advocatus *M. Christianus Funcius* ibidem Con-Rector rempublicam Scholasticam  
capessit, & sexennio summâ industriâ administravit, Florebat eo tempore *Altenburg* im

FR 2220  
cum singulari Principis munificentia, tum Civium in studiosam Juventutem liberalitate. Quare hoc Rectore Fortuna, quid in Scholastica re posset, imprimis videtur experta. Aluit namque tantum Alumnorum numerum, quantum neque antea neque postea quisquam vidit. Instructa fuit Selecta ex melioris notae juvenum cohorte classis: additus Collegis in Schola docentibus, post Sub-Con-Rectorem non ita pridem constitutum, Lector, & utrique honesta ex arario Principis Ordinum & Senatus stipendia proposita sunt. Non in tenebris abstrusi Juvenes delituere, sed quam sapientissime in scenam & rostra sunt producti. Unde, quod aliis difficile factu foret, huic facile fuit, magna duo Orationum, Programmatum, Actuumque Scholasticorum Volumina collecta relinquere. Elapso a sexennio Goerlicium vocatus discessit. Jam itaque temporum ratio nos ad eos deducit, quorum aut vita aut recens memoria adhuc viget. Post Funccij discessum Dn: *M. Petrus Hertelius*, omnia magis quam hanc fuorum studiorum catastropham veritus, Jenam, quod studiorum causam excurrerat, in Patriam revocatus Scholam praefuit; Et, licet variis agitatus arumnis, sui tamen muneris numeros omnes egregie explevit, sedulo providens, ne quid detrimenti res Scholastica ullo e loco caperet. Verum n. vero cum tertius verteretur annus, Scholam extractus Schmoellensium Ecclesiam praepositus est, ubi etiam hodiernum post multos pro Ecclesia sua commodo exantlatos sudores in magna dignitate vivit. Hujus loco & vestigiis institit Dn: *M. Paulus Martinus Sagittarius*, verus Altenburgensium *Livius*, qui decennio Scholam gubernavit, totoque eo tempore nihil eorum reliquit in expertum, quae ad Patriae res gestas decantandas, & Philologiae, praecipue tamen numariae rei, gratiam inter Saxones renovandam facere videbantur. Laudarem eum prolixius, nisi mortuus etiam fuisset sese scriptis laudaret. Quare suffecerit dixisse: ipsum, cum proficuum Reipublicae in Schola operam praestitisset, avito more etiam Verbi Ministris adnumeratum gratiam Principum & amore Populi unum omnium maxime enituisse. Eo ad sacrum ordinem digrediente ex S. Ordine in Scholam citatus est Dn: *M. Jacobus Daniel Ernesti*, nostri seculi *Valerius*, cujus stupendam industriam ex tot utilissimis libellis perspectam orbis & miratur, & mirabitur, dum Eruditos magnificere non dediderit. Successorem habuit Dn: *Johannem Wablium*, cujus magnam docendi felicitatem adhuc depraedicant, qui ipso Praeceptore usi sunt. Eo a repente extincto Scholam cura descendit ad Dn: *M. Johannem Mullerum* Muhavia Variscum, qui antecessorum exempla secutus Scholam admodum celebrem opinione hominum & discipulorum numero frequentem praestitit. Neque silentio est praetereundum, quod, cum Templum Scholae contiguum aliam indueret gratiam formae, ipse utendum occasione ratus, conclave, quod Bibliothecam aegre haecenus capiebat, nitide prorsus augeri & proferré curavit. Huic dignissimo Rectori Diacono praeter expectationem designato ego ex Senatoria Lipsiensium Schola vocatus successi, & quamdiu Scholam tenui gubernacula, feci quod potui, si quod volui, (volui n. quaecunque Scholae saluti esse solent) per imbecillitatem virium & inopiam occasionis non licuit. Sed ecce! ex senescente Cathedra, quae Funccio Rectore nata est, in eandem, in quam ipse hinc digressus Goerlicij ascenderat, inopinato Dei nutu avocor. Quare impetrata a Venerandis Gymnasij nostri Ephoris honesta missione crastina Deo dante die hora II. pom: fasces Rectorales ponere, & post Deum Serenissimo Scholae Nutritio, Patronis Favoribusque gratias pro beneficiis acceptis agere, nec non Amicis, Collegis & universo discipulorum coetui valedicere constitui. Ea propter omnes pro quibusque, ut discedenti mihi ultimam hanc gratiam faciant, & in Auditorio Scholae primario frequentes ad audiendum conveniant. Deus autem, Praeses & Custos hujus urbis, seruet omnes incolas salvos, felices rebusque omnibus ornatos!

P. P. Altenburgi XVII. Octobr: A. MDCXCV.



(X2000 290)

Ya  
220

EMINENTISSIMOS  
 PRO  
 INSPECTORIBUS  
 PATRONOS & FAULTORIBUS  
 ad A  
 ORAT  
 DE NUT  
 in collatio  
 Illustri huic Scholæ (DEO)  
 vocatus d, XVIII. Octob  
 humillimè  
 invita  
 DE RECTORIBUS Illustr  
 M. SAMUE



BIBL  
 PONIC

ALLE  
 (G)

21

